

X 2313034

II  
817

DE  
CVLTVRA MORTI DEAE  
OLIM EXHIBITA  
BREVITER DISSERIT

---

SIMVLOVE  
VIRIS  
PRAENOBILISSIMIS DOCTISSIMISQVE  
IEREMIAE ROSTIO  
GRIMMENSIS

ET  
BENIAMIN REICHELIO

STECHAVIA-ALTENBURGICO  
SVMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
FORTVNATOS ESSE IVBET  
LVDOVICVS GVILIELMVS IVNIVS  
LIPSIENS.

---

ANNO MDCCXLIII.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



DE  
OCTAVIA MORTY DEAR  
OLIM MORTY DEAR  
DEVIAT DEARIT

---

VIRIS  
PRAENOBILISSIMIS DOCTISSIMIS  
FERRERIAE ROSTIO  
GRIMMISI

---

BY  
BENIAMIN REICHELIO  
SCHWABIA-ALIA-ALIA  
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
TERTIATOS REICHELIO  
TYDOLIOVS DVLIELVS IYKINS  
REICHELIO

---

F I P E L I A E  
DE OCTAVIA MORTY DEAR





Q. D. B. V.



Tantus tamque magnus fuit apud veteres Deorum atque Dearum numerus, ut iam suo tempore facilius Deos, quam homines in vrbe inueniri adfirmaret PETRONIVS. <sup>a)</sup> Multos sane Deos superstitiosa et inexpiabili religione colebant veteres, plurimisque eiusmodi numina insigniebant nominibus. <sup>b)</sup> Si enim praeterita repetere contemplarique velimus saecula, inueniemus certe, non solum Virtutibus templa et aras fuisse positas, sed etiam Vitia, Dolores, Mor-

A 2 tem

a) Vid. Petronius in Satyr. c. XV. p. 28. edit. Amstel. an. CIOIOCLXXVII.

b) Πολυνομια apud gentes in vsu erat, deusque ille illustrior cui plura erant nomina. Sic Catullus:

Dea magna Cybele, Didymi dea domina.

Hic inuocandi ritus haud dubie reprehenditur a seruatore Matth. VI. v. 7.

## IV

tem denique ipsam maxima animorum agitatione celebrata fuisse comperiemus. Huius superstitionis quae prima origo, magnam adhuc quaestionem censemus, quae causa verisimillima fuerit, vel deus aliquis adcurate videre possit. PLINIUS, c) qui illud egregium naturae historiarum opus composuit, idcirco fragilem et laboriosam infirmitatisque suae memorem mortalitatem, in partes deum digessisse adfirmat, ut portionibus quisque coleret, quo maxime indigeret; et nullus dubito, fore plerosque, qui recte illius suffragabuntur sententiae. Ita cum veteribus erat comparatum populis; illi enim Mortem, quae, cum ob breuitatem vitae numquam longe abesse possit nullo tempore deterrere debet animum, ne noceret, damnumque inferret, diuinis adfiebant honoribus. Multa tamen eaque praeclara exstiterunt ingenia, in eorum numero nomina sua professa, qui mortem neque a Graecis neque a Romanis ut Deam fuisse cultam arbitrabantur. Et vel hanc ob causam operae pretium me facturum existimauerim, si eorum debilitata atque eneruata opinione

Mortem

c) Vid. Plinii histor. natur. Lib. I. c. VII. edit. Gronou. quae an. MDCCCLXIX. apud Hackios Lugd. Batav. tom. III. prodit. ibique p. 7.

V

Mortem olim inter Deos locum inuenisse in hoc leuidenti scripto pro virium modulo probare studerem. Ne vero ordo, qui vel numquam sine damno abesse potest, perturbetur, in prima statim sectione Mortis etymologiam breuiter enucleabimus. Secunda de Diis Auerruncis veterum aget, in quorum numero Mortem fuisse luculenter constat. Tertia cultum Graecorum Morti olim exhibitorum explicabit. In quarta denique sectione Romanorum erga Mortem honorem interpretabimur, refutata simul falsa eorum sententia, qui Mortem numquam in Deorum fuisse numero, contenderunt.

SECTIO I.

DE

ETYMOLOGIA VOCIS MORS.

**E**x omnibus scriptoribus verborum origines inuestigantibus, artemque grammaticam plus laboris, vt SVETONIVS ait, quam gloriae habentem profitentibus, solus fere ISIDORVS mihi talia meditati occurrit, qui etymologiam Mortis breuiter tradiderit. A VARRONE enim Romanorum illo doctissimo, et FESTO silentio Mortis etymon praetermissum

A 3 fuisse

## VI

fuisse inuenimus. Isidorus Lib. II. c. II. sic ait: Mors dicta, vel quia sit amara, vel a Marte, qui est effector mortium, vel a primo hominis morfu. ISIDORVM vero hoc in loco hariolatum alucinatumque fuisse, vel qui nondum aere lauantur, facili intelligere possunt negotio. Nos hanc vocem a Graecorum vocabulo *μορος*, quo fors fatalis significatur, recte riteque deriuari posse cum HESYCHIO arbitramur. Graecum enim illud verbum *μορος*, quod a *μειρω* fuit ortum, si originem paullo attentiore mente spectare velimus, non tantum portionem, sed etiam, exitium et mortem significare, clarissima luculentissimaque habemus indicia. Videtis tamen FABRI lexicon in voce mors, et MATTHIAM MARTINIVM in lexicō etymologico praecipue sacro. Mortam praeterea vnam e Parcis fuisse, hoc enim nobis addendum videtur, tradit CESELIVS VINDEX in antiquis suis lectionibus, referente noctium Atticarum scriptore AVLO GELLIO. <sup>d)</sup>

## SECTIO

d) Vid. Gellius Lib. III. c. XVI. edit. Gronou. anno MDCLXXXVII. Lugd. Batau. p. 103.

DE

DIIS AVERRUNCIS VETERVM,  
IN QVORVM NVMERO MORS  
RECENSETVR.

**D**eos Auerruncos, quos Graeci *Ἀπορρα-  
ταιους* vocant, VIRGILIUS vero more  
romano eleganter laeva numina dicit, ideo  
adorabant veteres, ne nocere omneque ma-  
lum velint auertere. Eo enim processerat  
vetustorum populorum, quos alio nomine,  
cascos adpellat ENNIUS, amentia, vt vrbes  
fluuiosque pro diis haberent, quid? quod ani-  
malia

- e) Inter vrbes praecipue Romam habuisse templa, diuinis-  
que adfectam fuisse honoribus ex inscriptione illa Lug-  
dunensi in Gallia, patet:

SERVILIO

MARCINIO

AVERNO

DOMITI FILIO

SACERDOTI AD

TEMPLVM ROMAE

AVGVSTORVM

TRES PROVIN CIAE GALLIAE

vid. Pitisc. in voce Roma et le grand Cabinet Romain  
par de la Chauffe, p. 38.

## VIII

malia <sup>f)</sup> damnum plerumque adferentia, ne scilicet nocerent, diuino cultu prosequerentur. VARRO <sup>g)</sup> in libris de L. L. conscriptis ita Deorum Auerruncorum etymologiam tradit: A vertendo, inquit, auerruncare; vt deus, qui meis rebus praees, Auerruncus. Itaque ab eo precari solent, vt pericula auertat. Et, si FESTVM <sup>h)</sup> euoluere velimus, inueniemus, illum, vocabulum veruncent, quod male per vnum r in FESTI libris scribitur, per vertant fuisse interpretatum. Ad quem locum doctissimus FESTI interpres DACIERIVS erudite adnotauit, verruncare a Graecorum vocabulo *ἐρυνειν*, quod prohibere denotat, fuisse ortum. Haec de origine nominis sufficiant. Nunc ipsi auerruncandorum malorum Dii lustrandi adcuratius. Originem Deorum Auerruncorum inuestigantibus vnus tantum in primis huius superstitionis initiis occurrit, cuius nomine postea innumerabilia fere numina fuere insignita. Colebatur primum Deus Auerruncus,

f) Illos homines suauius rider Iuuenalis, ita enim:  
quis nescit qualia demens

Aegyptus portenta colat, Crocodilon adorat.

g) Vid. Varro Lib. VI. p. 81. edit. Scalig. a Stephano Paris. M D LXXXI.

h) Vid. Festus in veruncent p. 589. edit. Amstel a Daciero in vsum Delph. an. MDCXLIX. curatae.



cus, qui pestem, omniaque mala omina a frugibus auerteret; sed exiguis praeterlapsis annis omnium malorum depulsores Auerruncos vocantes in deorum numerum referebant populi vetustiores. AVLV M GELLIV M <sup>i)</sup> hac in re in sententiam voco meam, qui adfirmat, in istis diis quos placere oportebat, vti mala ab hominibus frugibusque amouerentur, Auerruncum quoque fuisse, et Rubiginem. Auerruncos enim, quos postea Depulsores vocabant, aequè placare solebant. Notissimum sane est, Romanos, aliosque populos non solum Virtutes, Imperatores, Flumina, Plantas, quas lepide poeta numina in hortis nascentia dixit, coluisse, sed etiam Pestem, Febrem, Pauiorem, Meretricem, Timorem, Mortem denique ipsam, ne scilicet nocerent, pro Diis habuisse. Hos Deos Auerruncos singulari religione dignabantur veteres, illis hostias litabant, victimas ferebant, atque omnia ad Deum cultum spectantia rite obseruabant. Matctatas eiusmodi Diis iram malaque omina auertentibus fuisse victimas, ex LIVIO <sup>k)</sup> constat;

B

Placuit

i) Vid. Gellius Lib. V. c. XII. p. 145. edit. eit.

k) Vid. Liuius Lib. VIII. c. VI. edit. apud Elseuirios an. cio 100 LXXV, a Gronou. curatae p. 600. ibique not. Godel.

X  
Placuit, inquit, auerruncandae Deum irae vi-  
ctimas caedi. Supplicationes vero irae auer-  
runcandae gratia fuisse institutas alio loco pro-  
bat LIVIVS, <sup>l)</sup> in quo auerruncandorum pro-  
digiorum causa supplicationes in biduum se-  
natum decreuisse testatur. Tempora arasque  
Auerruncorum Deorum honori fuisse dedica-  
tas PLINIUS et CICERO adfirmant. Publice  
enim Febri <sup>m)</sup> fanum in Palatio ex sententia  
PLINII <sup>n)</sup> consecratum fuit, Orbonae ad ae-  
dem Larium ara, et malae Fortunae Exquiliis.  
Ita etiam Pauorem a Tullio Hostilio fictum at-  
que ut Deum fuisse cultum, templumque ha-  
buisse magnae auctoritatis scriptor docet LI-  
VIVS. Legenda tamen ad adlegatum PLINII  
locum doctissimi DALECHAMPII nota, ubi  
adfirmat, apud Lacedaemonios Morti et Ti-  
mori apud Gades, Paupertati et Senectae, non  
ut iuuarent, sed ne quicquam obsint aut noce-  
rent,

l) Vid. idem Lib. X. c. XXIII. edit. iam cit.

m) Monumenta eiusmodi Diis fuisse posita certissimum est.  
De Febri inscriptio in Transyluania reperta apud  
Electwodum p. 34. edit. Londin.

FEBRI DIVAE

FEBRI SANCTAE FEBRI MAGNAE  
CAMILLA AMATA PRO FILIO MALE ADFECTO  
P.

n) Vid. Plinius L. I. c. VII. p. 8. edit. cit.

XI  
rent, aras fuisse consecratas. Mortem vero  
pari honore dignam iudicauisse veteres EV-  
STATHII ad DIONYSIVM ALEX: °) ad-  
notatio, vbi apud Gades και θανατου αλλω,  
i. e. *iegon* existuisse declarat, luculenter probare  
mihi equidem videtur. Alioquin plurimas  
gentes Mortis mentionem abominabantur,  
quod ex LIVII Lib. XXX. c. XXV. rite re-  
cteque coniiicere possumus.

SECTIO III.

DE

CVLTV MORTIS APVD GRAECOS.

Græci, qui plurimum deorum cultum, teste  
HERODOTO <sup>p</sup>) in Euterpe, ab Aegyptiis  
acceperant, acceptumque propagarant, et So-  
lem,

o) Vid. Dionys. Alex. edit. quae per Stephan. Paris. an.  
MDLXXVII. in 4to prodiit, p. 65. ibique comment.  
Eustathii.

p) Ita enim Herod. *δωδεκα θεων επωνυμιας ελεγον πρωτους*  
*Αγυπτιας νομισαι, και Έλληνας παρα σφεων αναλαθειν*  
*βαιμους τε, και αγαλματα, και ιηους θεοισι απονεμησαι σφεας*  
*πρωτους, και ζωα εν λιθοισι εγγλυσαι.* i. e. duodecim deo-  
rum nomina primos Aegyptios existimasse, atque Grae-  
cos ab illis accepisse, eosque primos aras et imagines  
et templa diis erexisse, et animalia in lapidibus in-  
sculpisse.

## XII

lem, ὃ quem Theognis ἀθανάτων καλλίστον, immortalium pulcerrimum vocat, Tempestatēs, Ventosque pro Diis habuere, et ipsam Mortem in Diuum censum referre non dubitarunt. Irritum sane laborem adgrederemur, si in hoc tenui et exsangui scripto, quodque fortasse numquam exire debuerit, omnia proferre vellemus testimonia, quae Mortem a Graecis cultam fuisse confirmare possint. Paucis tota res nobis agenda erit. Quid enim illis verbis clarius apertiusque, quibus cultum Mortis apud Lacedaemonios Graeciae populum depingit PLUTARCHVS. Ἔστι, ait, δε καὶ Λακεδαιμονίοις οὐ Φοβου μονον, ἀλλὰ καὶ θανάτου καὶ γελωτος ἱερα. I. e. Fuerant apud Lacedaemonios non Timoris ὃ tantum, sed et Mortis et Risus templa. Et sine dubio ad hunc modum interpretanda censemus illa EPI-

CTETI

- q) Solis cultum ex inscriptione Romae reperta intelligere possumus, quae apud Fleetwodum in edit. cit. p. 19. inuenitur.

DEO SOLI INVICTO  
C. IVLIVS CAESAR D D.

- r) Timorem deum, quod adiciendum putauerim, non sicut caeteros daemones, quos tamquam noxios vrbe abesse iubebant venerabantur: Sed huic palatium in vrbe, hoc enim rempublicam contineri arbitrabantur, fuit positum.

CTETI verba: *Ναους ποιοιμεν και αγαλματα  
 ηανους δαιμοσι.* Persuasum scilicet erat Graecis populo in superstitiones vitiaque flecti ce-  
 reo omnibus mortem veluti Tantalo saxum  
 impendere, et vel hanc ob rem iusque piium-  
 que iudicabant, templa <sup>s)</sup> illi dedicare, Mortis  
 imaginem <sup>t)</sup> votiuamque tabulam eorum pa-  
 rietibus adfigere, eamque, ne noceret, opinio-  
 neque citius vitam demeret, rogare. Quid?  
 quod eo processit Graecorum erga Mortem  
 Deam veneratio, vt illi litare, hymnisque eius  
 numen celebrare non dedignarentur. Hoc  
 enim Orphei siue quis sit horum carminum au-  
 ctor, hymnus in Mortem Deam conscriptus  
 mihi equidem testari videtur. Ne vero diu-  
 tius rei inhaerere videar, cui fortasse nemo fi-  
 dem adsumumque negabit, pro re mea ALE-  
 XANDRI AB ALEXANDRO ICTi solide eru-  
 diti verba tantum addo. Hic vero in diebus  
 genialibus Lib. I. c. XIII. aperte profitetur,  
 Graecos Morti et Timori aliisque affectibus  
 templa arasque dedicasse.

- s) Vid. Meursius in antiq. Lacon. qui ad perscrutandas  
 Graecorum antiquitates non ab homine, sed a deo  
 quasi quodam fictus videbatur.
- t) De Mortis simulacro vid. Pausanias Lib. III. Eliac.

CVLTVRA MORTIS APVD ROMANOS:  
REFVTATVR SIMVL DE MORTE NVMQVAM  
VT DEA CVLTA QVORVMDAM OPINIO.

**R**omanos, quibus tamen prae caeteris populis insignis sapientiae laus tribuebatur, in fingendis Diis et Deabus, eorumque cultu Graecis numquam sapientiores exstitisse, vel ex cultu Morti Deae exhibito clarissime patere censemus. Quicquid enim humus, pelagus caelumque genuerunt, id ex PRVDENTII sententia Deos et Deas duxere Romani. Huius igitur urbis ciues populumque Quiritum Mortem coluisse vt admirer a me quidem impetrare non possum. Cum enim Mors urbis tures tabernaeque, liceat enim mihi cum poeta loqui, saepissime opinione citius pede pulsarit pallido, sine dubio e re ciuitatis fore, arbitrabantur Romani, si vel Mortem inter Deos referrent, numenque eius implacabile victimis honoribusque placarent. Haec licet certe ritaeque facta sint, pauca tamen in auctoribus, quos classicos vocamus, inuenimus loca, quae sententiam de cultu, quo Romani Mortem Deam prosequerantur, corroborarent, stabiliarentque. Ita vero cum aliis eiusmodi Diis eorumque

rumque Sacris quoque comparatum esse, si scriptorum antiquorum monumenta perscrutari velimus, satis superque videbimus. Pauca sane de cultu, templis, arisque Palloris, Tempestatum, Ventorumque hodiernum comperta habemus. Quemadmodum enim Romam splendidis quondam exstructam aedificiis moleque olim fere sua laborantem nunc vetustate collapsam videmus; ita etiam multa civium Romanorum facta obliuione diu obruta nostram fugere cognitionem sentimus. Sed quorsum euolauit oratio, cum tamen nihil aliud nobis agendum sit, quam ut, si non longa locorum probantium serie, tamen quibusdam auctorum fide dignorum verbis Mortem in Deorum censu fuisse probaremus. VIRGILIUS, v) quem primo loco iam nomino, clarissimis verbis profitetur, Mortem fuisse Deam, cui victimas tulerunt Romani, hostiasque immolarunt. Ita enim Lib. XI. aeneid.

Multa bouum circum maectantur corpora  
Morti.

Setigerosque Sues raptasque ex omnibus  
agris

In flammam, iugulant pecudes.

Vbi

v) Vid. Lib. XI. v. 197. p. 709. T. III. edit. Lugd. Batau. per Emmenest. curatae, ibique not. Seruii.

## XVI

Vbi erudite **SERVIVS**: aut in Morte, aut Morti ipsi Deae. Hanc suam de Morte Dea opinionem corroborare adnititur **SCHOLIASTES**, simulque **STATIVM**, qui ita dicit:

In scopulis Mors saeva fedet  
in suam vocat sententiam. Et vel ex hoc **SERVII** loco, vbi Mortem fuisse cultam, victimisque celebratam declarat, adparere crediderim, neutiquam illos hariolari, qui Morti locum inter Deos adtribuerunt. E recentioribus iisque doctissimis **VIRGILII** interpretibus **DE LA CERDA** x) Mortem diuinis obtinuisse honores candide profitetur, addens simul fortasse mactari Morti nihil aliud in hoc loco esse, quam mactari. Tunc vero erit Morti pro morte positum, et mihi dubium plane nullum relictum est, quin poeta his verbis, Mortem Deam cultumque illi praestitum intellexerit. Quinimmo hanc meam de Morte Dea sententiam firmam reddit stabilitamque monumentum illud antiquum Romae in hortis Agrippinae prope arborem repertum cum hac inscriptione

### MORTI DEAE SACRVM

Haec licet vera multaque luce conspicua sint,  
tamen

x) Vid. not. de la Cerda p. 709. edit. Virg. cit.



tamen omnibus temporibus viros existisse  
 compertum habemus, qui vel Iouem iuraue-  
 runt lapidem, nullo umquam tempore Morti  
 honores habuisse veteres. Inter antiquos AE-  
 SCHYLVS Atheniensis in Mortem numquam  
 diuinos collatos fuisse honores verbis testatur  
 disertissimis. Haec vero ita apud COELIVM  
 RHODIGINVM scripta inuenimus.

Sola deum Mors non amat munera,  
 Nec vllus ei sacrificat, aut libat in templis,  
 Nullam habet aram, non celebratur hymnis.  
 Ad quam sententiam MARTIALIS mihi in se-  
 quenti respexisse videtur disticho:

Lanificas nulli tres exorare puellas

Contigit: obseruant quem statuere diem.

AESCHYLVM vero hac in re errorem commi-  
 sisse, non dubito. Licet enim fortasse dum in  
 viuis esset AESCHYLVS, nullum singulare  
 Morti templum exstructum dedicatumque fue-  
 rit, tamen eo iam tempore antiquum illud fa-  
 num *Θεῶν ἀπαντων* omni marmore et aere pe-  
 rennius fuisse conditum exploratissimum est.  
 Huius PAVSANIAS geographus meminit, et  
 nos non immerito credimus, et *Θανατου ἀγαλ-  
 μα* Mortis simulacrum locum sedemque in illo  
 inuenisse. Notissimum praeterea QVINCTI-  
 LIANI adcuratae exquisitaeque doctrinae vi-

C

ride

## XVIII

ri de AESCHYLO iudicium, qui eum rudem in  
plerisque et incompositum fuisse censet. Sed  
etiam nostris temporibus viri de re litteraria  
egregie meriti Aeschyli propagarunt senten-  
tiam. In his fuere FRANCISCVS POMEY e  
societate Iesu, et VOSSIVS, cuius librum de  
Idololatria omni eruditionis copia refertum  
plerique admiramur. Hic magni nominis vir  
Mortem implacabile numen esse ait, cui, cum  
effugere liceat nemini, nulla constituta templa,  
nullam aram, excepta vna apud Gaditanos  
fuisse dedicatam, adfirmat. Verum enim ve-  
ro errasse VOSSIVM, eiusque hac in re sectato-  
res, PLVTARCHI, SERVII aliorumque loca  
fatis superque declarant. Longe sane aliam  
hac de re fouerunt sententiam viri eruditi lau-  
dibusque meis maiores ALEXANDER AB  
ALEXANDRO, LILIVS GYRALDVS, TIRA-  
QVELLVS, PITISCVS, NIEVPORTVS, qui  
Mortem Deam diuinoque cultu dignatam fuis-  
se, optimis adducti rationibus fuerunt arbi-  
trati.

Iam vero alio me vocare videntur pietas  
officiumque breuique huic dissertationi, quae  
fortasse nec satis elaborata quibusdam videbi-  
tur, vt finem imponam suadent atque hortan-  
tur.

VIRI

VIRI PRAENOBILISSIMI,  
DOCTISSIMI,

FAVTORES ATQVE AMICI IN PAUCIS  
CARI.

Quod felix, faustum frugiferumque sit VOS  
Magistrorum honoribus ornatos, condecoratosque esse video. Votis sane vsque ad inuidiam felicibus frui et curis expeditis veluti ultra terminum vagari hodierna luce mihi videor, cum VOS Magistros salutare simulque fausta quaeque omina VOBIS precari mihi contingat. Quid enim exoptabilius beatiusue, quam de illorum fortuna laetari, quos amicos colimus, virosque singulari doctrinae laude conspicuos esse nouimus? Nullam Amici Aestumatissimi paginam VESTRIS consecratam laudibus inuenietis; Praeterita tamen de VOBIS testamur tempora, in quibus luculenta bonae mentis eruditionisque specimina edidistis. Nimirum hoc VOS philosophia docuit, non turpi otio iabentia atterere tempora. VOS enim quoties horas repetitis praeteritas, certissimum esse potestae effatum, qui nihil vitam sine magno labore dedisse mortalibus dicit, propriiq; edocti exemplo

C 2

cense-

*censetis. Semper mecum VIRI atque AMICI AESTVMATISSIMI* suavi illos risu dignos iudicauistis iuuenes, qui, cum cruda in academiā propellant studia, se quasi in alium orbem e scholis deferri, iure quodam suo arbitrantur, simulque a primis vitae academicae momenti *VOS* melioribus in scholastica umbraticaque vita sacris initiatos ostendistis. Nunc vero cum gloriam laborum diligentiaeque mercedem obtineatis, quid potius mihi agendum, quam ut *VOBIS* honores et titulos, quos rite bonisque omnibus capeffitis, faustos fortunatosque esse iubeam? *VOBIS* igitur ut vel vno verbo vota, quae mens mea concepit, exprimam, *VOBIS*, inquam *FELICITER*, antiquum illud Romanorum adagium *FELICITER* adclamo. Non diutius longa verborum serie vestra morabor atque retardabo negotia, neque de amicitia et adfectu in me vestro, hunc enim mihi semper certe spondeo, anxie ero sollicitus. Numen potius Optimum Maximum protentis, ad caelum manibus saluto, atque ut *VESTRAM* felicitatem quotidie augere velit, rogo atque contendo. Ita *Valete, AMICI SVAVIS-SIMI*, atque *Fauete*. Scribebam Lipsiae  
*A. C. N. c1o 10cc XXXXIII.*

\* \* \*



8.k  
420  
55

II 1/2  
817

X 2313034

DE  
CVLTVRA MORTI DEAE  
OLIM EXHIBITA  
BREVITER DISSERIT

SIMVLQVE  
VIRIS  
PRAENOBILISSIMIS DOCTISSIMISQVE  
IEREMIAE ROSTIO

GRIMMENSIS  
ET  
BENIAMIN REICHELIO

STECHAVIA-ALTENBURGICO  
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
FORTVNATOS ESSE IVBET  
LVDOVICVS GVILIELMVS IVNIVS  
LIPSIENS.

ANNO MDCCXLIII.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

